

1571

ratoris sententia pontificium discessurum. Cur igitur ancipiti consiliorum cura amplius torquerentur? cur ex animo præclaram sibi obtundendi hostis oblatam opportunitatem non amplecterentur? An de Pii Summi Pontificis, ac de Philippi Regis voluntate ambigerent, quos summo societatis ineundæ desiderio flagrare certis argumentis inspexissent? An quod variae in gravissima re pertractanda difficultates abortæ sint? At hæc magnis in negotiis plerumque evenire, mediocri rerum usu prædicitum ignorare neminem. At hoc anno non omnes, uti fœderis lege caveretur, a Rege triremes præstari posse. Quis de potentissimi Regis viribus ambigat? Octoginta, nondum majore mense exacto, apprime instructas fore; reliquæ ut in Neapolitano regno, ac Sicilia armentur, curari. Sabaudas, Hetruscas, Melitenses adfuturas. Sed pacis injecta spes animos allicit; belli ingentes subeundi labores, immanes sumptus deterrent? Quod unquam satis firmum cum eo hoste jus concordiae futurum, qui cuncta dominandi libidine, atque inexplebili regnandi siti metitur, qui inexpiabili odio in christianam religionem exardescens, nihil non ad illius exitium molitur; tantumque ab iis, quæ dudum mente agitat, abstineret, quantum illi vel a fortuna, vel a temporum conditionibus denegatur?

His, atque aliis in hanc sententiam summa dicendi vi a Columna enuntiatis, Patrum adeo commotæ mentes sunt, ut plerique ad fœdus statim ineundum inclinarent. Mocenicus Princeps brevibus Columnæ respondit: Fœdus a Republica semper expetitur; ex eo ad neminem plus commodi, quam ad Venetos pervenire posse, si insolentissimi hostis fastus, ac potentia deprimeretur: at ejusmodi societatem, qua Turcarum vires confringantur, non qua ictus tantum excipiantur, sensimque vires absumendo nullo operæ pretio summis periculis Respublica objiciatur, optandum esse: diuturna pace militaris disciplinæ, maritimæque præsertim nervos minime labefactatos; generoso ausu bello suscepto, in id sedulo incubuisse; classis imperatorem ad manus cum hoste conferendas incitasse; nullo unquam tempore certamen cum hoste cives detrectaturos. Ceterum de more Senatus consulto, quid in præsentī re decreverit, ipsum cogniturum. Adhuc in iisdem Patres curis,

atque